



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Vigesima Qvarta Post Trinitatis Evangelivm Matthaei IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

## DOMI. VIGE. TERTIA

illa extrema ætas fuit obnoxia. Ita sciamus nunc  
extremo mundi tempore Ecclesiam in seruitute  
fore, uel sub Turcis, uel sub alijs regibus & prin-  
cipibus, & habituram exiguum defensionem. Ideo  
discamus ferre difficultates politiarum, & aga-  
mus pœnitentiā, ut Deus eas mitiget. Interim ta-  
men suum quisque officium diligenter et prudē-  
ter faciat, ut retineamus Ecclesias, quas Deus mi-  
rabiliter seruabit, etiamsi in tantis regnorum  
mutationibus quassabuntur. Oremus etiam Deū,  
ut ipse regnorum mutationes mitiget.

## DOMINICA VIGESIMA QVARTA POST TRINI- TATIS EVANGELIUM MATTHAEI IX.

**H**æc cum illis loqueretur, ecce Pri-  
mas quidā uenit, & adorauit eū,  
dicens, Filia mea modo defuncta est, sed  
ueni, & impone manū tuam super illā,  
ac uiuet. Et surgens Iesus, sequutus est  
eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier,  
quæ sanguinis profluuiio laborauerat  
duodecim annos, accedens a tergo, teti-  
git fimbriam uestimenti illius. Dixerat  
enim

## POST TRINITATIS. 119

enim intra se, Si tantum tetigero uestimentum illius, ero salua. At Iesus conuersus, ut uidit illam dixit, Cōfide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta fuit mulier a tempore illo. Et cum uenisset Iesus in ædes primatis, uidissetq; tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum. Quum autem esset electa turba, introgressus tenuit manum illius, & surrexit adolescentula. Et emanauit rumor hic in totam terram illam.

## QVATVOR SVNT LOCI.

- I. De Synagogis.
- II. Doctrina communis de miraculis.
- III. Doctrina de fide, & iuocatione.
- IV. Allegoria tibicum, & alia.

## DE PRIMO.

SINGULARI cōsilio Deus in populo Israel, tam tum unum esse tabernaculum seu templum uoluit, ad quod fierent legitima sacrificia, oblationes & mactationes, et ad quod semper præstò erat

## DOMI. VIGE. QVARTA

erat summus sacerdos, cum aliquo collegio. Hec ordinatio proderat ad retinendam concordiam doctrinæ, opinionum & cultuum. Quia diuersa templo, diuersi pontifices, citius peperissent diuersos cultus, & diuersas opiniones, sicut postea accidit, quando Ieroboam & alij humana audacia condiderunt nouum templum. hinc discordia doctrinæ, & magni errores orti sunt. Facilius enim retinetur concordia, cum in uno loco perpetua doctrina profectio per manus traditur, & propagatur doctrina certa autoritate, & certis testimonijis, & semper est gravis senatus inspectator, qui considerat, quid publicè doceatur. et in illo populo diuina promissio facta erat, semper apud hos cultus, et in hac sede futuram aliquam Dei Ecclesiam, & ueritatem. Quare etiam si sepe pontifices et magna pars collegij erat impia, tamen Deus seruauit aliquas reliquias, ut Ieremiam, Simeonem, Zachariam, & similes. Erat igitur unus locus, ad quem certo tempore omnes conueniebant, ex omnibus oppidis, & ibi doctrinam conferebant. Sicut & Christus adolescens mansit Hierosolymis, de doctrina disputans cum collegio, & si tunc quidem Pharisei & Saducei extinxerant lucem ueræ doctrinæ.

Quanquam

## POST TRINITATIS. 120

Quanquam autem una sedes erat, tanquam inspectrix et gubernatrix doctrinæ. tamen in omnibus oppidis reliquis Synagogæ erant, id est, conuentus instituti, non ad oblationes aut mactationes hostiarū, sed tantū ad exercitia doctrinæ, et publicas precationes. Voluit enim Deus ubiq; sonare uocē Prophetarū. Sed tamē ut maneret cōsensus, erat una summa schola inspectrix ad tēplū.

Hæc ideo recito, ut agnoscamus Deum uel le etiam studia doctrinæ, & graui autoritate per coetus aliquos, propagari doctrinam, & esse inspectores, ad remendam doctrinæ concordiam. Hæc consideremus, ut excitemur ad amandas, iuuandas, & tuendas scholas, in quibus Euangeliū lucet, sicut populo Israel mandatum erat, ut suum templum tuerentur. Quia semper uult Deus aliqua esse Ecclesiæ studia, sicut seruat suum librum ecclesiæ, scriptum per Prophetas & Apostolos. Ideoq; mandauerat imponi tabulas Moysi in arcam, ut significaret in Ecclesia manusam esse doctrinam à se traditam. Fuit igitur Archisynagogus in oppido Capernaum, lector et interpres quispiam Prophetarum, qui ornatur hic insigni miraculo, Quia enim pauci doctores credebāt Christo. ideo huius fidē Christus singulari beneficio remunerat.

DE

DOMI. VIGE. QVARTA  
DE SECUND.

**V**NO & eodem modo plerumque de miraculis dicimus, tria hæc de miraculis tenenda esse. Primum uniuersaliter facta prophetarum, Christi & Apostolorū, miranda esse testimonia de doctrina, quibus Deus testatur, se adesse his docentibus, & hanc doctrinam sua uoluntate proponi, ut miracula omnia, quæ facta sunt, cum populus educeretur ex Aegypto, testimonia erant doctrinæ, uidelicet, hanc uocem Legis uerè esse uocem Dei. Sic resuscitationes mortuorū factæ à Christo, testantur eum à Deo misum esse, & genus doctrinæ haud dubiè diuinum esse. Nosq; hæc miracula confirmant, ut amplectamus Euangelium, & discernamus à Philosophorū doctrina, & ab humanis opinionibus. Quanquam enim & aliæ gentes quedam miracula habent, tamen hæc sunt propriæ Ecclesiæ, quæ nulla creatura imitari potest, scilicet, reddere uitam mortuis, sistere solem, fœcundas facere annus. Hæc opponamus inanibus factis, quæ narrat Ethnici, ut de dissecta cote. Sit igitur semper hæc de miraculis diuinis prima cogitatio, testimonia de doctrina nobis proponi, in quibus toties se Deus patefecit.

Secunda

Secunda doctrina. Christi facta peculiari-  
ter ostendunt, quale sit regnum Messiae. Iudei ex-  
pectabant glorioas uictorias, partitiones pro-  
uinciarum, magnas opes, & dulcem tranquilli-  
tatem. sed Christus ostendit sua beneficia alterius  
generis esse. Annunciat remissionem peccatorū,  
pollicetur & inchoat uitam æternam, et instau-  
rationem humanæ naturæ. et ut ostendat utrūq;  
se & re opitulari, & esse instauratorem uitæ,  
sanat omnes petentes. Quoties igitur ciui facta  
cogitamus, de perpetuo regno Christi cogite-  
mus, quæ beneficia dare uelit animæ & corporis.  
Sciamus tale esse nunc quoq; eius regnum, sem-  
per eum adesse, remittere peccata petentibus, ex-  
audire inuocantes, sanare, iuuare in multis mag-  
nis periculis corporum.

Tertio. Miracula sunt exempla promissio-  
num, et applicationes ad singulos. Promissio est,  
Petite & accipietis. Exempla sunt, hic Archisy-  
nagogus, Centurio, Syrophænissa, et reliqui om-  
nes, qui in suis ærumnis liberationem petiuerunt.  
Prophani lectores sic cogitant, ut de liberalitate  
aulica. Video quidem Christum aliquibus opitu-  
lari, sed non est similis uoluntas erga omnes. ut  
in aula liberalitatē experiūtur aliqui propiores  
principibus,

## DOMI. VIGE. QVARTA

principibus, multi alij, quamvis melius meriti, tamen negliguntur. Hæc collatio ex animis extirpanda est, & opponenda doctrina promissorum, in quibus præcipue hæc duo considerentur, quod promissio gratiæ non pendet ex nostris meritis, sed iubet intueri meritum Christi. & quod promissiones sint uniuersales. Venite ad me omnes, qui laboratis &c. 1. Timo. 2. Deus uult omnes homines saluos fieri. Et Acto. 10. Non est acceptio personarum apud Deum. Has sententias coniungamus omnibus exemplis, & nos ipsos ad hunc numerum potentum aggregemus, sciamus ideo hos adiutos esse, ut ceteri inuitetur. Adiuta est Syrophœnissa ethnica mulier, item mulier peccatrix. Lu. 7. Et mulier Samaritana, Ioh. 4. Denique ipse dicit, sanis non esse opus medico.

Deponamus igitur humanam opinionem de nostra dignitate, & de particularitate, & ad huc pontificem accedamus omnes fiducia misericordiae, et meritorum ipsius. Si angeris, ut Archisynagogus aut Syrophœnissa, accede ad Christum. nec disputa de tuis meritis, sed scito, hanc miseram naturam horribiliter oppressam esse peccato, & nequaquam nos posse nostra dignitate niti. Agnosce Deum se patefecisse immensa

sua

sua bonitate, & uelle inuocari ab omnibus. Nulla mens humana, hoc mirandum Dei consilium satis considerare, & satis magni aestimare, potest, quod Deus se patefecit, quod misit filium, quod uult nos audire & seruare. Fateamur nos infatuum esse similes, & non assequi magnitudinem misericordiae Dei, & adferre peccatum, ac dubitationes. nec accensa esse corda agnitione & dilectione Dei, ut debebant. & accedamus tamen ad hunc pontificem Christū, cū illa imbecilli turba, petamus beneficia, & confirmemur exemplis huius turbæ. Exaudiit Syrophœnissam, ergo te quoq; uult audire. Ideo enim, ut cæteros inuitet, illam adiuit. Sic Psalmus 33. exempla ad usum transfert. Accedite ad eum, & illuminamini. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eū &c. Hæc doctrina de applicatio etatio loco semper in miraculis consideretur.

### TERTIVS LOCVS, DE fide, & inuocatione.

**H**æc applicatio, de qua diximus, requirit cognitionē Euāgeliij de inuocatione, et de fide. Semper obstrēpit nobis hæc cogitatio, Quid facio magni, ut Deus me respiciat? sum immundus,

## DOMI. VIGE. QVARTA

dus, & reus, quid expectem a Deo, nisi pœnas?  
Quid curat Deus meos clamores, etiam si uelis  
eum inuocare, an magnificet istas recitationes,  
quibus aliquid petis? Hæ dubitationes semper  
cruciant animos. Hic oportet nos bene munitos  
esse hac doctrina de inuocatione, quæ est Euani-  
geliij præcipua. Primū autem sciendum est, quod  
Deus hunc cultū omnium maximē requirat. Ideo  
se patefecit, ut agnoscatur. Non potest autem  
agnosci sine inuocatione. Ideo toties præcipitur  
de inuocatione, ut Christus inquit, Semper ora-  
te, & non defatigemini. Item, Petite, & accipie-  
tis. Si homines possunt dare dona hominibus,  
quanto magis pater cœlestis? Phi. 4. Non sitis sol-  
liciti, sed in omni precatione & petitione, cum  
gratiarum actione postulationes uestræ notaſſi-  
ant Deo. Psal. 68. Ego orationem meam ad te  
Domine, tempus bencplaciti Deus est, id est sit  
aliquando illud tempus, quo uelis me liberare.

Primum igitur colligat mens præcepta,  
quæ iubent inuocare. deinde & promissiones  
addat, Petite, & accipietis. Quidquid petieritis  
patrē in nomine meo, dabit uobis. Sed hic in pro-  
missionibus mox obſtrepit nobis indignitas no-  
stra, sumus meriti pœnas, ut David, Manasses,  
Samson.

A  
enat  
uelis  
ones,  
mper  
nitos  
uan:  
quod  
Ideo  
utem  
bitur  
ora:  
spie,  
ibui,  
sol  
cum  
exi  
ad te  
t'sit  
re.  
pta,  
ones  
ritis  
ro-  
noz  
Jes,  
011.  
POST TRINITATIS. 122

Samson, Denique multi meliores non sunt exaudit, ut Saul, & alij innumerabiles. Quid de me fieret, qui sum massa immunda, cōtaminata multipliciter, magis quā David, qui inquit, tibi tantum peccatum sum, id est, res rea & abiccta, quid impetrare possum? Difficile est hoc certamen, sed quia hac ipsa uoce legis assidue accusamur, discamus hanc ipsam ob causam promissiones Euangeli traditas esse de remissione peccatorum propter filium. Quanquam sumus indigni, tamē Deus uult nos propter filium recipere. Hic cogitanda est particula, gratis. Iustificamur gratis, per gratiam eius, fide. Afferimus ad Deum, nō merita, sed miseram & contaminatam naturam, sicut David dicit: Tibi tantum sum peccatum. Et Daniel clamat: Nō in iusticia nostra, sed misericordia tua, prosternimus preces nostras, & Exaudi nos propter Dominum. Et Ionas: Qui non confundunt ad misericordiā, sectantur uana, id est, fiducia propriæ indignitatis est inanis, sed confundiendū est ad misericordiā. Hac doctrina promissionū confirmantur animi, & sciant mandatum Dei esse, ut hanc fidem in precatione afferamus ac petamus fiducia filij, sicut dictum est, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, me nomi-

p nantes



DOMI. VICESI. QVARTA

nantes mediatorem, perferentem preces uestras,  
dabit uobis.

Hæc doctrina de iuuocatione & fide, nusquam ulli genti extra Ecclesiam nota est, ac in sola Ecclesia Dei patefacta est, & tantum alijs intelligitur, qui audiunt & norunt Euangelium. Vultq; Deus nobis Euangelij doctrinam, & suam misericordiam & præsentiam, fieri conspectiorem his exercitijs iuuocationis. Ideo in omnibus periculis, & quotidianis negocijs, decurramus ad hanc uerè sacram ancoram. In lib. Sapientiæ iuuocatio uocatur scutum nostrum. Et Paul. inquit: Quidquid facitis, in nomine Domini, id est, in iuuocatione Dei, facite. Sed magna pars hominum secura ruit, quo cæci furores trahunt, multa incipit ac mouet, sine ulla cogitatione, de iudicio Dei, sine timore Dei, sine iuuocatione. Ideo erumnnæ cumulantur.

Porro cum obstrepunt exempla, Cur non exauditur Hieremias deprecans auxilium? & similia multa. Hic fides prudenter discernat promissionem gratiæ, & mitigationes pœnarum temporalium. Mandatum Dei est, ut nominatim credas tibi remitti peccata, recipi te a Deo ad societatem uite æternæ, propter Christum. Io-

han. 6.

POST TRINITATIS: 123

han. 6. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Quandoque igitur inuocas, uere statuendū est, quod Deus te recipiat, propter filium, & tuas preces audiat. Sic in omni inuocatione prælucet Euangilium, de pœnitentia, & de remissione peccatorum, & occurrit huic uoci Legis, Deus peccatores non exaudit, scilicet perseverantes in peccatis, non agentes pœnitentiam, non confugientes ad filium.

Sed de beneficijs corporalibus sciamus, Ecclesiam subiectam esse cruci, & Deum postulare obedientiam. Retineatur igitur fides. q; recipiamur in gratiam, etiam cum manet calamitas. Et tamen postulat Deus, non solum obedientiam in afflictionibus, sed etiam inuocationem. & uult mitigare aut tollere ærumnas, sicut dulcissime inquit Psal. 77. Non accedit totam iram suam &c. Vult enim seruari et in hac uita suum aliquod agmen. Vult esse aliquos incomitatus, ut communis uite labores sustineant, uult conseruari studia doctrinæ Euangelij, politias, œconomias, propter propagationē Euangelijs. Denique uult & in mitigatione pœnorum & calamitatum celebrari.

Ideo semper in inuocatione petere & expetare

p 2 flare

## DOMI. VIGE. QVARTA

ctare debes auxilium, & mitigationē calamitatis etiam si non statim tollitur, ut clamat Ieremias Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Et in Psalm. Castigans castigauit me Dominus, & morti nō tradidit me. Item, non moriar, sed uiuam, & annunciaro opera Domini. Ideo liberat Dominus, ut postea testes simus, quod exaudiat Deus, & uerè sic uelit colo, & discamus ac doceamus alios de inuocatione, ut Psalm. 33. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Imò hanc ob ipsam causam omnia exempla miraculorum, inde usq; ab initio propofita sunt, ut discamus inuocationem nō esse irritam. Sed maxima pars hominum, quamvis propter consuetudinem inuocat, tamen manet in hac imaginatione, inuocationem esse irritam.

Huic diffidentiae acerrime repugnandum est, & opponendae sunt promissiones, & excitandum cor, ut acquiescat cogitatione promissionum, & credat profuturam inuocationem, ne accusemus Deum mendacij. Ita Paulus inquit Roman. 8. Spiritus sanctus testimonium dat spiritui nostro in quo clamamus Abba pater. Sciebat Ieremias uenturum esse excidium, sed orabat tamen, ac statuebat

## POST TRINITATIS 124

statuebat orationē prodesse ad mitigationē. Ita  
Dauid exulans castigari se uidebat, neque tamē  
abiebat precationē. Sciebat enim se impetrare  
auxilium, & mitigationem, & experiebatur in-  
terim consolationes, & nouum robur in corde,  
& talem moderationem euentum, ne penitus  
opprimeretur. Hęc doctrina de iuuocatione &  
fide diligenter consideranda est, ut accendatur  
fides in quotidianis precibus & discernatur i-  
uuocatio nostra ab Ethnica, Iudaica, & Turcica.

## DE QVARTO.

**N**on sunt omnia in allegorias transfor-  
mando, sed interdum facta ac exempla  
adeo illustres imagines continent, ut non dubium  
sit, aliud quiddam significatum esse. Ut oblatio  
Isaac sine dubio significabat oblationem Chri-  
sti. Diluuium sine ulla dubitatione significat ul-  
timum iudicium. Sic paſsim multae sunt imagi-  
nes maximarum rerum in tota sacra historia.  
Sed prudentia adhibenda est, ne interpretationes  
& collationes inconcinnae & absurdæ gigant=br/>tur. Hic satis concinna significatio Synagoge  
est mulier laborans fluxu, quæ suas facultates in  
curatione frustra impenderat, Talis tunc fuit Ec-  
clesia

## DOMI. VIGE. QVINTA

clesia in populo Iudaico, quæ erat in magnis miserijs, lacerabatur bellis, & uersabatur in erroribus, & infœliciter à principibus & doctoribus curabatur. Nam doctores Pharisæi & Saducæi, non norant Euangeliū de Messia, & de uera iuuocatione. Principes uero prorsus erant Epicurei, doctrinam & disciplinam non curabant, tantum expilabant populum, & stultis tumultibus perturbabant gubernationem. Talis cū esset populi status, uenit Christus, & opitulatur huic mulieri, id est, suæ Ecclesiæ, quam in hoc populo collegit. Sic & Archisynagogi filia imago est Ecclesiæ extinctæ in populo. Hæc rursum excitatur per Christum, Sed ridetur Christus à tibicinibus, qui ad funus conducti erant.

Hæc est illustris pictura sapientum, qui tamum norunt doctrinam Legis, & discipline externæ. Sicut enim tibicines canunt funebria carmina, ita doctores Legis, sine agnitione Christi, tanquam in funere deplorant miseras humanas proponunt disciplinam, & poenas, & tamē sentiunt sèpc uinci hanc suam doctrinam infirmitate hominum, & ut maximè obtineri perfectissima doctrina posset, tamē lex non adfert confolationē de remissione peccatorū, de reconciliatiōne

one gratuita, de uita æterna, de uera inuocatio-  
ne, Sed relinquit hoies in dubitatione, et in mor-  
te, et disciplina illa est ueluti apparatus funeris.

Norant ethnici gubernatores & Philoso-  
phi sapientiā Legis, quorum doctrina, quia non  
continet firmam consolationē de reconciliatione  
Dei, tantum est tristis querela de miserijs huma-  
nis. Denique, quid aliud est Philosophia, nisi  
consideratio humanæ infirmitatis, & qualem cun-  
que frenū nimis stolidos impetus cohercens? &  
fatetur ipsa, totū hoc frenū infirmum esse, et se-  
pe lacerari naturæ prauitate. Est igitur quære-  
la funebris, sicuti Plato dicit, Philosophiam esse  
meditationē mortis, id est, agnitionē nostrarum  
miseriarū, & moderationē cupiditatum, ne au-  
geantur miserie.

Sed hypocritæ ignari Euangelij, nimium  
tribuunt huic freno, cumulant leges superstitio-  
sa opinione, cumque audiunt Euangelium, quod  
detrahit his obseruationibus laudem iusticiæ, &  
proponit aliam iusticiam, putant laxari sua uincula,  
& Euangeliū execrantur, quòd uideatur  
languefacere studium bene operandi, diminuere  
cultus Dei, & seditionē labefactare legum auto-  
ritatē. Hæ opinions in animis sapientū, qui

p 4      ignorant

DOMI. VIGE. QVARTA

ignorant Euangelium, sunt cause acerbissimi odij. Nam homo sapiens contendere debet, ut accendat studium bene operandi, & cultus Dei tueatur, & modestiam hominum, & tranquillitatem retineat. Hos fines debet sapiens gubernator summos ducere. Sed ita tamen, ut ueros cultus Dei intelligat & tueatur. Veri autem cultus non intelliguntur sine Euangelio, ideo impij gubernatores fascinati opinionibus Legis, & ignari Euangelij, aberrant, & inflammantur odio Euangelij, Id hoc loco per tibicines significatum est. Nos uero discamus discernere genera, Legem & Euangelium, & tribuamus suum cuique generi locum. Lex regat disciplinam, & scuerè regat. Sed simul sciamus alia iusticia opus esse, uidelicet, quam Euangelium proponit, de fiducia filij Dei. Vitemus etiam falsa iudicia hypocitarum, nec propter eorum odia, confessionem Euangelij abijciamus.

DOMINICA VIGESIMA  
QVINTA POST TRINITATIS, EVANGELIUM  
Matthæi XXIII.

Cum